



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XLVI. a Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

**jugale.** Verum cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili , & discreta, quamvis non evidenti,& manifesta,debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiae committas offendam. Tu ergo juxta responzionem præscriptam super illo procedas articulo, de quo nos consulere voluisti.

## NOTÆ.

**a** **[Dem.]** Ita etiam legitur in tertia collectio-  
ne, sub hoc tit. cap. 17. sed nullibi exprimitur cui  
Præfato rescribat Innocentius , nec inter ejus

epistolas editas à Sirleto , & Bosqueto reperitur  
textus hic: illum tamen exposui in cap. literas , de  
restit. spol. cap. Dominus, de secund. nupt. & viden-  
dus est Thomas Delbene trahit. 2. oper. mor. diff. 10.  
sept. 13.

## CAPUT XLV.

**a Morinensi Episcopo.**

**C**ontingit interdum , quod dum clericali charactere insigniti ad turpia lucra di-  
vertunt , & secularibus negotiis se immiscent , clericale nomen abominabile  
redditur cordibus infirmorum. Sanè sicut accepimus insinuantibus nobili<sup>b</sup> vi-  
to Comite Flandrensi , ac nobili muliere M. relicta quondam Ph. Flandrensis Comi-  
tis, in diœcesi tua quidam existunt , qui nec in modo tonsura , nec in vestium forma ,  
nec in qualitate negotiorum de clero quidquam ostendunt, ad poena subterfugium se  
clericos exhibentes. Quia cùm super excessibus , quos seculari luxu committunt , ad  
publica judicia pertrahuntur, circumcisus crinibus , ut possint circumvenire vindictam ,  
se pro clericis repræsentant, clericalis fori privilegium labiis allegantes , qui factis paulò  
antè negaverant clericatum : dumque repentina tonsurā pœnas eludunt, quas intorsi  
perveris actibus meruerunt , per impunitatis fiduciam nutritur in eis audacia delin-  
quendi ; & dum impunè delinquunt, quibusdam efficiuntur in scandalum , & aliis in ex-  
emplum. Verum quia privilegium meretur amittere , qui permisæ sibi abutitur pote-  
state, ac frustra legis auxilium invocat , qui committit in legem, volumus , & mandamus ,  
ut tales , si tertio à te commoniti , seipso contempserint emendare , illius efficiantur im-  
munitatis expertes , quæ pro clericorum tutela , & laicorum violentia coercenda nosci-  
tur instituta. Tu denique frater Episcope , &c. Datum Lateran. v. idus Ianuar. Pontif.  
N. Anno xv.

## NOTÆ.

**I.** **a Morinensi.** In nulla ex collectionibus  
antiquis reperitur textus hic ; extat ta-  
men inter epistolas editas à Bosqueto lib. 3. re-

gebr. 15. epist. 200. ex quo Registro inscriptionem ;  
& literam restituo. De Morinensi diœcesi egi in  
cap. 1. defolut. & textum hunc exposui in cap. finali ,  
de clericis conjug. 1. de apostatis .  
**b Viro.** ] Balduino videlicet.

## CAPUT XLVI.

**a Idem.**

**I**n præsencia dilecti filii, &c. *Et infra :* Nec Canonici suo Decano excommunicatio-  
nem objicere possint, cùm super hoc nec monitus , nec requisitus fuerit , nec ipse pro-  
pter hoc eum duxerit evitandum: sed Episcopus in mensa , & Canonici communicave-  
rint ei etiam in divinis.

## NOTÆ.

**a** **[Dem.]** Ita etiam legitur in quarta collectio-

ne, sub hoc tit. cap. 2. nullibi tamen exprimitur  
cui rescribat Pontifex. Textum hunc exposui in  
cap. cum inter, cap. dilecti , de except.